DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PERNICIOSIS ALIQUANDO SANGUINIS MISSIONIS EFFECTIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THEOPHILUS THOMPSON,

Anglus,

REG. SOCIETATIS MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS,

SOCIETATISQUE HUNTERIANÆ

PRÆSES ANNUUS.

"All things have a double power,
"Alike for good and evil."

THALABA, Book IV.

IV. *Id. Julii, hora locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS WALKER.

MDCCCXXX.

CLARISSIMO VIRO,

JOANNI THOMSON M.D. S.R.E.S.

COPIIS MILITARIBUS CHIRURGO,

NUPERQUE IN ACADEMIA EDINENSI CHIRURGIÆ MILITARIS

PROFESSORI,

&c. &c. &c.

HOC OPUSCULUM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ,

PROPTER EXIMIAM EJUS IN DISCIPLINIS MEDICIS,

PARITER ATQUE PHILOSOPHICIS EXCOLENDIS FELICITATEM,

SUMMIQUE AMORIS,

PROPTER PLURIMA IN SE COLLATA BENEFICIA,

ET MEDICI NOMINE ET AMICI,

TESTIMONIUM,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

AMICO SUO,

GULIELMO GLOVER M. D. &c.

NUPER NOBILISSIMO VIRO DOMINO HEYTESBURG,

DONEC LEGATI EXTRAORDINARII ADMINISTRIQUE PLENA

POTENTIA INSTRUCTI, IN HISPANIA, OFFICIIS FUNGERETUR,

MEDICO PRIVATO,

NUNC VERO EDINBURGI,

SUMMA FELICITATE MEDICINAM FACIENTI,

HUNC LIBELLUM,

IN TESTIMONIUM MAGNÆ EJUS PERITIÆ MEDICÆ,

MAGNÆQUE ERGA SE ET OMNES BENEVOLENTIÆ,

INSCRIBIT

T. THOMPSON.

VIRO CELEBERRIMO,

MARSHALL HALL M.D. S.R.E.S.

CUJUS SUMMUM ACUMEN, SUMMAQUE DILIGENTIA,

UT MULTUM JAM AD ARTEM MEDICAM PERFECTIOREM

REDDENDAM CONTULERUNT,

ITA PLUS ETIAM IN POSTERUM POLLICENTUR,

SEQUENTES PAGINAS,

OBSERVANTIÆ SUÆ ATQUE AMORIS PIGNUS,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PERNICIOSIS ALIQUANDO SANGUINIS MISSIONIS EFFECTIBUS.

Sanguinis missio antiquissimum remedium est, idemque in pluribus vulgatissimis et periculosissimis morbis nobilissimum. Vituperatum quidem aliquando, veluti alia omnia remedia, fuit; sic tamen ut post omnes opinionum mutationes, quibus tam multa alia succubuerunt, hoc unum non minore laude nunc sit, inter doctissimos nostrorum temporum medicos, quam fuit olim inter vetustissimos atque imperitissimos artis nostrae cultores. Veruntamen confitendum est hoc praesi-

dium, quod tantopere saepe adjuvat, non mediocriter interdum nocere posse; etsi difficillimum saepe est statuere quae mala ex illo aliquando proficiscantur, quousque sine incommodo adhiberi possit, et quemadmodum mala inde provenientia optime tollantur. In has igitur quaestiones, parum adhuc agitatas, sequentibus paucis paginis descendere cogito; non quidem spe motus tantam rem qua digna est cura persolvendi, sed desiderio colligendi quae praecipue, de hac re, adhuc annotata sunt. Dividam autem totum argumentum in duo capita; ita ut, in priore, de malis effectibus sanguinis intempestivae missionis, atque in posteriore de iis observantiis quibus, in hoc remedio adhibendo opus sit, et de variorum malorum, quae ex hac causa proficiscuntur, curatione, breviter loquar.

DE MALIS EFFECTIBUS SANGUINIS INTEMPESTIVÆ MISSIONIS.

Effectus copiosae sanguinis profusionis, ubi haec fortuita est, nimis familiares omnibus sunt quam ut hic curiose proponam. Arteriarum pulsus im-

becillus, respiratio brevis, oppressaque et sonora, totius summae cutis pallor atque constrictio, extremarum partium frigus, subsultus tendinum, sphincterumque omnium relaxatio talem naturalis vitae stimuli defectum indicant, qualis in mortem brevi desinere solet. Quod si magis mediocre fuerit sanguinis profluvium, minus vehementes quidem hi effectus sunt, sed tamen satis superque maxima ex parte notabiles; acceduntque pene semper convulsiones, maxime si puer est, qui sic afficitur; plurimum interest novisse eas convulsiones, quae in puerperio tam saepe occurrunt, ex hac causa frequenter oriri. Huic autem profluvio fortuito maxime affinis est sanguinis artificialis detractio, siquando haec nimis copiosa est. Hujus effectibus unus ex praecipuis est convulsiones, etiam in adultis hominibus, maxime si in positura recumbente sanguis missus fuerit, idemque lente; neque raro accedit delirium, cum perpetua vigilia, quam tollere nihil, praeter validissimos stimulos, potest. In senibus autem, eadem sanguinis detractio, quae in junioribus delirium fortasse excitasset, coma movere solet. Atque hi quidem generales effectus sanguinis intempestivae missionis sunt; sed, praeter hos, non paucos proprios mor-

bos efficere consuevit, atque adeo non raro certum excitationis modum, quem percipere posse plurimum ad rem pertinet, ut qui tantopere veram inflammationem saepe representet, ut medicum imperitum in curationem perniciosissimam ducere possit.

Ex propriis morbis autem qui ex sanguinis nimis copiosa detractione, inter caeteras, interdum oriuntur, unus ex praecipuis insania est; quae quodammodo affinis est ei delirio, quod ex hac causa saepe nasci, jam diximus. Dubitari non potest quin, sanguinis ingente profluvio, saepe vel concitetur vel adaugeatur ea insaniae forma, qua puerperae laborare solent; id quod optime ostenderunt Doctores MARSHALL HALL [1] atque GOOCH [2]; eorumque opinionem multum corroborat id quod diu cognitum est, insaniam saepe ex longa abstinentia proficisci. Hujus rei clarissimum exemplum attulit nuper ANDRAL [3]; idemque satis constat ex experimentis COLLARD [4] in canes, qui, post certam abstinentiam, delirio semper affecti sunt.

---

[1] Researches on the Effects of Loss of Blood, p. 61.

[2] Account of some Diseases of Women, p. 134.

[3] Anat. Patholog. t. ii.

[4] Magendie's Journal, vol. viii.

Alter morbus eodem modo saepe concitatus, secundum RICHTER atque TRAVERS, amaurosis est; notabileque ejus exemplum ex hac causa, in libro illo, " Acta Phys. Med. Acad. Nat. Cur. Norimb. " vol. iv." narratur.

Ostenditur quoque a Doctore MARSHALL HALL [1], morbum quendam, qui hydrocephalum plurimum repraesentat, ex sanguinis amissione, si non nascitur, plurimum certe adaugeri. Idem etiam a Doctore ABERCROMBIE, in opere ejus de cerebri medullaeque spinalis morbis, annotatur; nuperque Doctor GOOCH [2] subtilius paulo rem exploravit. Quinetiam non absimile esse videtur verum hydrocephalum interdum ex hac causa oriri. Siquando animalia subita sanguinis detractione interimuntur, plus solito seri in cerebri ventriculis nunquam non reperitur; id quod, ex experimentis SANDERS, SEEDS, et KELLY abunde constat: crediturque a KELLY [3], fore ut idem accideret ex sanguinis missione tardiore quidem, sed eadem crebra. Hanc causam autem plurimum conferre ad omnes hy-

---

[1] Med. Essays.

[2] Account of some Diseases of Women.

[3] Edinb. Med. Chirurg. Trans., vol. i.

dropes faciendos, ab antiquissimis temporibus existimatum est; diciturque a LIEUTAUD [1], ibi ubi de foeminis Menorrhagiae opportunis loquitur, "Experientia constat, mulieres, huicce morbo obnoxias, ad Abortum esse procliviores; alias, diutius protracta febrem lentam, marasmum, cachexiam, et hydropem post se trahit."

Sequitur febris puerperarum, quae a quibusdam [2] eidem ex utero haemorrhagiae non incommode fortasse refertur; quamvis alii ab hac sententia dissentiunt [3], fortasseque, uti existimat FERGUSON [4], hic morbus potius ex injuria aliqua quam passus est uterus, vel ex viro contagioso, quam ex sanguinis ab eodem profluvio, concitatur.

Supersunt fortasse multi alii proprii morbi qui nimia sanguinis amissione moventur, atque, inter caeteros, omnes qui ex plenitudine nimia proficisci solent; etenim, utcunque parum verisimile, primo aspectu, sit, copiam sanguinis crebra ejus detrac-

---

[1] Synopsis Univ. Prax. Med.

[2] White on the Management of Puerperal Women; Manning on Female Diseases; Dublin Hosp. Rep. vol. iii.

[3] Gordon on Puerp. Fever.

[4] Armstrong on Puerp. Fever.

tione adaugeri, tamen nihil magis inter medicos constat quam rem ita se habere. Verum hi effectus remotiores quidem sunt; dum interim restat alius, qui protinus saepe ex hac causa supervenit: loquor de vehementi illa Excitatione, quae sic saepe movetur, quaeque inflammationi, ut jam dixi, simillima est. Diu cognitum chirurgis fuit certas sanguinis profusiones, ex plagis et vulneribus, interdum convulsiones movere; quas si homo evitaret, non raro subsequi, pro naturali febre sympathetica, excitationem quandam asthenicam, sub qua vulnus, quod alias facile sanaretur, hominem tolleret. Simile aliquid, saepius quam olim existimatum est, ex sanguinis petita detractione, maxime si crebro facta fuerit, accidere videtur. Narratur exemplum a Doctore Marshall Hall, mulieris cujusdam, ætatis 24, quae, paucos dies post partum, affecta est dolore imi ventris, aliisque indiciis oris uteri inflammationis. Adversus haec admotae sunt, inter caetera vulgaria remedia, hirudines hypogastrio, cucurbitulaeque imis lumbis; tantumque commodum ex posterioribus perceptum est, ut regulariter, bis terve in hebdomada, adhibitae fuerint. Copia sanguinis sic detracta saepe non minus quam

unciae viginti fuerat, morbusque felicissime finiturus esse visus est, cum subito, post admotas de more cucurbitulas, gravissimis signis mulier affecta est, syncope, anhelatione, convulsionibus, levique delirio. Haec frigido aëre spirituque gallico gradatim depulsa sunt, sic tamen ut summam imbecillitatem post se reliquerent: proximoque die accesserunt ingens dolor capitis, lucis sonique intolerantia, pulsus vehemens in temporibus, delirii aliquid, atque nausea; quae omnia eousque brevi adaucta sunt, ut Cerebri inflammationis suspicionem moverent. Paratus est medicus sanguinem ex brachio denuo mittere; sed repugnantia ipsius mulieris, consideratio morbi historiae, atque recordatio praeceptorum aliquorum, quod ad sanguinis amissionis effectus, ante aliquot annos lectorum, feliciter effecerunt ut hoc remedium praetermitteretur, atque, loco ejus, lotiones frigidae capiti admoverentur, vesicatoriaque cervici. Cum protinus rejicerentur medicamenta ex opio, potionesque effervescentes, adhibitus est spiritus gallicus, quem vehementer postulavit mulier, quique plurimum profecit; tandemque potibus mediocriter calidis et aromaticis, cibis idoneis, aliisque simi-

libus, aegra ad sanitatem perducta est. Neque talia exempla rara sunt. Memini me aliquando simile aliquid vidisse, in foemina in Valetudinarium Edinburgense, cum enteritide, sub Doctoris ALISON curatione, accepta.

Sanguis initio libere missus est, cum omnium malorum imminutione; sed cum postridie, propter doloris abdominis reditum, paulum sanguinis iterum detractum est, secuta sunt syncope, pulsus adaucta imbecillitas atque celeritas, faciei pallor, brevique cordis palpitationes. Post aliquot dies redierunt iterum signa inflammationis, iterumque sanguis missus est, et multum profuit; eodem vero remedio aliquandiu postea, propter novum doloris incrementum, iterum adhibito, accesserunt capitis dolor, vertigo, positura erecta adaucta, pulsus frequens, praecipue in temporibus evidens, et tinnitus aurium, quae sulphate quininae vinoque aliqua ex parte sublata sunt; tandemque foemina, sine ulla nova sanguinis detractione, (quam verisimile est fore ut minus peritus medicus adhibuisset,) et remediorum corroborantium usu, convaluit. Ne existimatur nimium, in his exemplis, sanguinis detractioni tributum fuisse, subjiciam aliud ex

clarissimo opere ABERCROMBIE [1]. Homo, aetatis 40, multum sanguinis arteriosi a recto amittere diu consueverat, idque sine ulla solicitudine, meram haemorrhoidam esse credens, donec amici mutato ejus aspectu perterriti sunt. Pro robusto enim et aliquatenus pleno, infirmus factus erat, pallidus, macilentus atque oedematosus. Pulsus frequens fuit, levissimaque exercitatione plurimum acceleratus, actioque cordis saepe valida et inaequalis, cum vertigine, aurium tinnitu, et dolore capitis pulsatili. Explorato recto, repertus est intra sphincterem ejus tumor fungosus, ex cujus apice exigua arteria sanguinem per saltum effundebat. Hic deligatus est, neque postea rediit haemorrhagia, homoque plena diaeta brevi ex toto convaluit; immo vero tam celeriter caro ejus sanguisque restituti sunt, ut timeretur ne nimis plenus fieret, necessariumque esset diaetam tenuiorem inculcare, sub qua nullus reditus priorum malorum fuit. Fieri non potest ut melior descriptio detur ejus generis excitationis, de quo nunc loquimur, quam quae a Doctore MARSHALL HALL, in optimo ejus opere

---

[1] On the Brain, p. 308.

jam citato[1], praebetur. Ut ille inquit, si sanguinis detractio mediocris fuit, reactio, quae subsequitur, levis est; sed si paulo major, non solum pulsus arteriarum praeter naturam celer est, sed etiam dolor circa oculorum orbitas accedit, cum motu pulsatili arteriarum caroticarum cordisque et aortae, qui omni perturbatione animi multum intenditur. Quod si etiamnum plus sanguinis detractum fuerit, superveniunt dolor pulsatilis capitis, quod interdum constringi videtur, et quasi annulo ferreo comprimi, magna inquietudo, lucis multoque etiam magis soni impatientia, ob oculos fulgores, clarique in auribus soni, cutis calor, somnia tumultuosa, cordis palpitatio, cum syncope saepe alternans, frequens suspirium atque anhelatio, quasi ex aëris desiderio, et denique sensus veluti instantis mortis; quae quidem nonnunquam accidit, siquando homo ex reclinante positura, subito assurgit. In his quoque exemplis proprius motus cordis saepe manifestus est, qui pectoris motui, inter expirandum, quodammodo respondet; oportetque meminisse istos abnormes motus cordis atque arteriarum inter vulgatissima, maximeque notabilia signa esse excitationis ejus de

[1] Researches on the Effects of Loss of Blood.

qua hic agitur. Dedit bonum exemplum hujusmodi COOKE, clarissimi operis MORGAGNI traductor, in quo, post magnum e naribus profluvium, proprius motus pulsatilis, primum prope nares solum, postea vero in arteriis caroticis, se ostendit: et semper pene arteriarum pulsus, in his exemplis, vibrans et quasi (ut loquitur GALENUS) caprizans repertus est; id quod fortasse ex adaucto illo motu longitudinali arteriarum, qui saepe post magnam sanguinis profusionem animadversus est [1], proficiscitur. Quinetiam affirmat CERA [2] se saepe reperisse pulsum arteriarum plenum atque vibrantem in hominibus vehementer fractarum virium, et propemodum jam morti succumbentibus; sibique persuasum esse hanc pulsus duritiem vitae terminationem maturam saepe declarare. Annotatum ab aliis quoque est [3], majorem cursus sanguinis celeritatem per systolem quam per diastolem cordis, in iis animalibus maxime manifestam esse, quorum vires plurimum deficiunt. Quod attinet ad capitis dolorem, de quo supra dictum est, bene constat

---

[1] Parry on the Arterial Pulse.

[2] Rotterdam on Bloodletting in Fevers.

[3] Haller sur le Mouv. du Sang.

inter auctores [1] hunc satis saepe cerebri membranas occupare, sine ulla illarum inflammatione; neque quidem idem rarum est in aliis corporis membranis, quales sunt pleura atque peritonaeum [2].

Primo aspectu difficillimum explicatu esse videtur quemadmodum adaucta excitatio, ut in his exemplis, imminuto stimulo moveri possit; sed considerandum est omnia corporis organa eo magis facile semper aliis et fortuitis stimulis affici, quo minus naturalibus suis et assuetis stimulis objiciuntur. Hoc autem nescio, an explicari possit ex lege illa, quam nuper proposuit Brown, omnem stimulum scilicet excitabilitatem partis consumere; eundemque igitur quoties deficit, permittere ut ista excitabilitas accumuletur, atque ita efficere ut alio aliquo stimulo magis solito pars afficiatur. Utcumque vero hoc sit, res ipsa satis inter omnes constat. Bene inquit Tommasini, "que la frequence du pouls, la chaleur morbide et une rougeur non naturelle peuvent être produites par une diathese de contre stimulus;" idemque ab Andral [3] optime confirmatur, ibi ubi ait, "en

[1] Martinet, Laennec, Andral, Abercrombie, &c.

[2] Newstead, Lond. Med. Gaz. Aug. 8. 1829.

[3] Andral Pathol. vol. ii.

" privant le cerveau de ses excitans accoutumés, " on peut produire precisément les mêmes effets, " que ceux aux quels on donnerait lieu, en aug- " mentant la quantité de ses excitans." Quis stimulus autem tantus, aut tam perpetuus, omnibus corporis organis est, quam sanguis; quo opus esse videtur non magis ad corporis actionem, quam ad quietem? Ex hujus enim justa copia pendet integritas vis nervosae, qua omnes corporis functiones temperantur; quaeque quoties deficit, existimandum fuit fore ut excitatio praeternaturalis subsequeretur. Haec autem, ubi ingens est, vires cito consumit; omnes vitae actiones brevi desinunt, non secus atque rotulae horologiae, cujus libramentum sublatum est [1]. Hoc ubi accidit, sensus omnes hebetiores fiunt, omniaque alia indicia imminutae cerebri actionis sunt. Initio sonus ille, qui Râle crepitant vocatur, inter respirandum auditur, somnusque saepe impeditur tussi propria, subita et quasi laryngeali. Brevi autem arteriae pulsare desinunt; reliquisque instantis mortis signis accedentibus, homo e medio tollitur.

---

[1] Reid on Nerv. Diseases.

DE OBSERVANTIIS QUIBUS IN MITTENDO SANGUINE OPUS EST; ET DE CURATIONE VARIORUM MALORUM QUÆ INDE ORIUNTUR.

Ex omnibus quae supra dicta sunt sequitur, ut, in multis exemplis, non sine summa cura atque studio, ad sanguinis detractionem confugiendum sit; ne in inflammatione quidem, in qua plerumque optime sustinetur. Dicitur a LIEUTAUD [1] de morborum inflammatorium curatione agens, "venae-"sectiones saepius nil proficiunt, quin potius vasis "plus aequo exinanitis, morbum exasperant;" idemque a SMITH [2] inculcatur, ibi ubi de talibus morbis hoc remedio curatis, agit. "When they "have been of some days' continuance," inquit, "it "may prove injurious; for if the pulse, instead of "being full, high and tense, should be low, weak "and soft, it will be expedient to excite, rather "than lower the vis vitae." Ut vero semper, in his morbis, certo modo opus est, in sanguine mit-

---

[1] Synops. Prax. Med.
[2] Smith's Physiolog. Essays.

tendo, ita hoc praecipue observandum est in ea febre inflammatoria, quae vehementem aliquem casum sequi solet, cum insuperabilis excitatio saepe ex sanguinis nimia detractione nascitur. Sed quis est iste certus modus, quem excedere sine periculo non possumus? Secundum MARSHALL HALL, talis sanguinis missio in omnibus exemplis idonea est, qualis sufficit ad incipientem syncopem movendam, si in positura erecta hominis sanguis mittitur, idemque ex ampla plaga. Copia igitur diversis temporibus admodum diversa esse debet; syncope enim, ut commode dicitur ab HOLLAND [1], "has not any "relation to the quantity of blood which is drawn, "but only to the sensations which precede, at-"tend, or follow it;" quoque difficilius, in ullo morbo, movetur, eo tutior fortasse est semper sanguinis copiosa detractio. Insequens vero dicitur esse ordo morborum, prout in singulis syncope difficulter hoc modo plerumque efficitur: Sanguinis in capite congestio; inflammatio membranarum serosarum, vel organorum parenchymatis; anasarca acuta; membranarum mucosarum inflammatio;

---

[1] Holland on the Laws of Life.

febris idiopathica; intestinorum irritatio; quaedam delirii exempla; excitatio ex sanguinis detractione; hysteria, dyspepsia, chlorosis, cholera, iisque similes. Denique, ut maxime necessaria plerumque est sanguinis copiosa missio in pura Inflammatione, ita in pura Irritatione maxime perniciosa esse solet.

Inter remedia autem malorum, quae ex nimia sanguinis detractione oriri consueverunt, unum ex maxime manifestis esse videtur Sanguinis Transfusio. Hoc praesidium novum quidem non est; siquidem, ab antiquis poetis, dicitur MEDEA hoc modo ÆSONIS juventutem renovasse,

———————— "Stricto MEDEA recludit
"Ense senis jugulum; veteremque exire cruorem
"Passa, replet succis[1]."

Eundemque filiis PELIÆ senis inculcasse,

———————— "Quid nunc dubitatis inertes?
"Stringite, ait, gladios; veteremque haurite cruorem,
"Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas,
"In manibus vestris vita est, aetasque parentis[2]."

---

[1] Ovidii Fab. ii. lib. vii.

[2] Ib. Fab. iii. lib. vii.

Inter medicos autem primum adhibitum fuisse videtur circiter medium seculum decimum septimum, cum a RIVA, MANFREDO[1], LOWER[2], aliisque, plus minusve laudatum est ; adjecitque postea commendationem suam HALLER[3], ita ut mirum sit hoc remedium tantillum studium adhuc sibi vindicasse. Quod si ad sanguinis transfusionem decurrere, post ejusdem amissionem volumus, multo minore copia ejus fortasse opus erit, quam quae detracta est ; idemque, ut credit BLUNDELL[4], inutilis erit, si jam syncope perfecta duodecimam horae partem perstiterit. Dicitur autem optimum modum esse hoc remedium adhibendi, propellere sanguinem in arteriam caroticam, cor versus, quo

---

[1] Ephem. Med. Phys. Germ. Curios. vol. i.

[2] "Verum e corporibus bene constitutis, si forte importuna "venaesectione, illato vulnere, aut quacunque demum haemorrhagia sanguis ea copia detractus sit, ut subsidium aliunde "praesentaneum requirat, nullus dubito quin brutorum sanguis "in amissi locum secure possit, et cum fructu substitui."

LOWER, *de Corde.*

[3] "Ita hujus quidem animalis, omnes arteriae, venaeque "omnes recepto sanguine, celeriter replentur et pristinus ipsi "vigor redit, neque penitus nunquam, morbi aliqui emendun- "tur ex quibus languebat."

HALLER, *El. Phys.* vol. i.

[4] Physiological Researches.

melius arteriae coronariae excitentur; fortasseque si aliter parum profuturum esse videtur, cum Galvanismo commode conjungi posset. Neque quidem sanguis arteriosus solum, immo vero nec solum humanus, ad hunc finem idoneus esse videtur; siquidem venosus etiam magis valere ab HARWOOD dicitur [1], ideo quod minorem febrem movet; et satis constat sanguinem aliorum animalium in alia recte indi posse [2], quamvis non semper magna copia [3]. Uti existimat BLUNDELL, sanguis equinus humano generi optime adaptatur; fortasse vero non minus bene multarum aliarum bestiarum sanguine, carnivorarum pariter atque herbivorarum, hoc modo uti possumus.

Veruntamen, utcunque interdum adjuvare possit sanguinis transfusio, tamen non raro fortasse supervacua, vel etiam perniciosa foret; neque enim ullo modo sequitur ut, quae conditio sanguinis detractione, cum aliis causis simul fortasse operantibus, movetur, eadem nova sanguinis additione dis-

---

1 Abr. of Phil. Trans. vol. i.

2 Phil. Trans. vol. xxv. xxx. xlii. &c. Journ. des Sçavans, No. viii.

3 Leacock, Dis. Inaug. de Haemorrhagia, 1816.

cutiatur, saepeque multo magis sedantibus quam excitantibus remediis opus est. Inter haec summopere valent summa quies, et corporis et animi, aër salubris, atque cibus levis; quibus accedere possunt, modo sinapismi, Spiritus Gallicus, Æther, Ammonia, aliaque similia, modo lotiones frigidae, vel etiam ex capite exigua sanguinis detractio, cum Hyoscyamo Camphorae conjuncto; quorum priora adversus temporariam aliquam depressionem, posteriora adversus generalem cerebri excitationem atque vigiliam, praecipue opitulantur, maxime Hyoscyamus, quem vehementer adjuvare, in simile conditione ex dyspepsia profecta, (in quo morbo tantopere a Doctore PARIS[1] laudatur,) saepe vidimus. Aliud quoque medicamentum, quod interdum proficere videtur, est Tartras Antimonii, praecipue ubi cordis, arteriarumque actio abnormis est; sed, ex omnibus remediis sedantibus, nihil pariter, plerumque valet atque Opium, quod recte adhibitum, etiam magis contra effectus sanguinis nimiae detractionis, quam eadem detractio contra soporem, auxiliari videtur.

---

[1] On Diet.

Hoc abunde ex plurimorum summorum medicorum experientia constat, maxime YOUNG, ARMSTRONG, STEWART, clarissimique in hac Academia Medicinae Professoris; quorum primus affirmat se potuisse semper multo plus sanguinis, in morbis inflammatoriis, sine incommodo detrahere, ubi protinus postea opium dedit [1]; alter se saepe vidisse homines, post copiosas sanguinis detractiones, perire, donec opium iis adhibere didicerat; tertius vix aliud aliquod, in his exemplis, laudare consueverat [2]; et ultimus pene incredibilia de bonis effectibus opii, post sanguinis amplas amissiones, narrare solet. Licet quoque adjicere, quod idem plurimum a doctissimo nostro Materiae Medicae Professore commendatur, in summa ea exhaustione, (quam saepe sequuntur febris atque delirium,) quae matribus adolescentulis familiaris est, quaeque, uti opinor, ei conditioni de qua nunc loquimur, admodum affinis est. Denique, sive recte dixerit, necne, FRANCISCUS SYLVIUS, se medicinam facere protinus desiniturum, si tolleretur Opium, satis constat id quod nuper dictum est, " C'est de tous les

---

[1] Young on Opium.

[2] Stewart on Uterine Hæmorrhage.

"medicamens le plus heroique, et celui, dont la "médecine peut le moins se passer[1];" et siquando hoc medicamentum prodest, tum maxime prodesse videtur, cum sanguinis nimiam detractionem secuta est excitatio praeternaturalis. Confitendum tamen est utilitatem opii in multis morbis inflammatoriis, veluti enteritide, post sanguinis missionem, non majorem fortasse esse in discutiendis malis effectibus hujus detractionis, quam in efficiendo ut aeger alias detractiones sine incommodo sustinere possit; sed utrolibet modo prosit, nobilissimum certe remedium est. Quo maxime valeat autem, necessarium est ita dare, ut actio ejus continua sit[2]; fortasseque optimus modus adhibendi est forma glandis, sive suppositorii, quoniam sic abstrahi, ubi volumus, potest. Quod si tanta corporis depressio supervenerit, ut postuletur spiritus gallicus, opium fortasse praetermitti potest; idemque certe tum faciendum est, cum aut ventriculum perturbat, aut cordis actionem nimis retardat, aut denique stuporem minatur.

---

[1] Dict. des Sciences Med.

[2] Abernethy's Lectures.

Haec igitur de Sanguinis nimiae detractionis praecipuis effectibus, praecipuisque eorum remediis breviter conflavi; lubenterque confiteor me, in hoc faciendo, optimo operi Doctoris MARSHALL HALL, nuper edito, plurimum debuisse. Nusquam adhuc, quod scio, hae questiones tam bene agitatae sunt; sed superesse videntur etiamnum multa, futuris Physiologis et Pathologis deprehendenda, taliaque fortasse, ut longae magnaeque curae atque studii pulcherrimum praemium essent allatura.

FINIS.